Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 511
Quelle:
Copyright:

men 23. ubi omnes legunt: *Deum putant ſine ira*, Noſter *fol.* 39. habet ἀοργητον.

II. *fol.* 42. p. 2. *L. Coelii Lactancii Firmiani De Opificio Dei Seu Hominis Formatione Liber Incipit.* Initium: *Quam minime ſim quietus etiam in ſummis neceſſitatibus* &c. In XXI. *Capita* juxta praevium Elenchum tributus eſt; abrumpitur autem in his C. *ult.* verbis: *Ego uero libentius uel ſub hoc onere — —.* C. 1. legit Noſter: *licet te publicę rei neceſſitas habeat, et a ueris operibus auertat*, pro *licet — neceſſitas a veris et juſtis operibus avertat.* Item: *ne poſſint homines prouiſione uitare*, pro *ne poſſint hominis proviſione vitari*, quam diſcrepantiam nec a *Bunemanno*, nec a *Brunio* et *Lengleto* adnotatam video.

CCLXXXIII.

U. 567 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 84. 8. in cujus fronte legitur: *Carolus Rottingerus Nördlingenſis Rhetus me poſſidet. Anno Salutis 1530.* quod ad hujatem Academiam pertinet, memorari meretur. Continet is primo: *Annotationes M. Stephani Sprugels in Lactantium de Opificio Dei.* In Scholis exceptas liquet e Titulo: *Incipit die prima decembris* (1530.) et e Calce: *Finiuit die 3. februarij Anno domini 1531.* Primum igitur Commentatorem *Lactantii* habeo *Sprugelium* noſtrum; *Eraſmi* enim *Scholia* in L. *de Opificio Dei* anno demum 1539. in edit. *Antverp.* 8. comparuere. Fuit Vir ille *Suevus Hallenſis* et per varia Munia Academica demum a. 1543. ad ſupremum Magiſtratum evaſit, Canonicatu ſimul D. *Stephani* inſignis, et ultima voluntate a. 1555. fundato Stipendio in *Burſam Haydenheim* beneficus. Virum eruditum probant Adnotationes noſtrae, quas effatis biblicis, Patrum, Hiſtoricorum, Philoſophorum et Poetarum condivit praemiſſa brevi Notione de rebus Autoris. Itaque ſecutis Commentatoribus uſui eſſe potuiſſent. Aliquoties addit vernacula, v. g. C. 1. τὸ *Offenſacula* interpretatur: *Das ainem in weg leitt* (liegt). Fronti praeſcriptum Carmen: *Roſinus in Lactantium.*

Si placet eloquium, lac manat et Attica mella;
Si res, Coelicolum nectar et Ambroſiam.

Atqui in *Supplemento Hiſtoriae* meae vernac. *Typographiae Vien.* p. 97. retuli idem *Carmen* praefixum *Lactantii Praefationi* L. I. *Divinar. Inſtit.* editae *Viennae* ante an. 1537. 4. et tributum *Caſp. Urſino Velio.* Difficile eſt officium *Palaemonis. Et vitula tu dignus, et hic.*

II. *fol.* 19. *In Epiſtolam Pauli ad Romanos Annotationes D. Ambroſio Saltzer ſacræ ſcripturæ Licentiato dictante conſcriptæ. Anno domini* 1534. *Martij* 16. Sequun-